



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

X. Qualem vitam in Monasteriuo duxerit S. Kvnegvndis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

nore, præcisus, imposito sibi ab Episcopis velo, annulo fidei
subarrata, gratulabunda succinuit; *Posuit signum in faciem meam*
& annulo suo subarrauit me Dominus meus Iesus Christus.

CAPVT DECIMVM.

*Qualem vitam in Monasterio duxerit
S. Kunegundis.*



Ta Christo sposo ipsa sponsa consecrata, dum filiarum suarum se sanctissimo contubernio applicuisset, non ut mater filiabus se præferebat, sed in omnibus seruitiis seruilem se personam ostendebat: ita tamen, ut cum omnia faceret, ostentationem fugeret singulorū, ne in præsenti seculo reciperet mercedem suam. Operabatur manibus suis. (Nulli enim in distinguendis auro gemmisque vestibus plurimum aut in stolis, aut in cingulis æstimabatur inferior) sciens scriptum esse: *Qui non operatur, non manducet.* Sponso aut orans loquebatur aut psallens. Ad Ecclesiæ limina* pñè tardioribus omnibus approperabat. Nihil seueritate illius iucundius: nihil iucunditate seuerius. Tristis in ritu: in tristitia sua vis. Breue vitæ spaciū æterna memoria compensabat. Idem illi locus Orationis & quietis fuit: idem semper habitus: incultum corpus: dum sciret reiciendas delicias corporis, quod paulò post vermbus exarandum sit: semper eam legere, aut legentem audire videres. Multa illi circa contubernales deuotio: frequens decubantium visitatio: sollicita pauperum consolatio. Præterea, plura eam miracula fecisse credimus: sed quod* gratiam hominum, & oleum adulationis semper fugeret, esse suppressa: quod tamen incuria scriptorum, seu reuolutioni temporum, non defectui depuntandum est virtutum. Pauca tamen, quæ in scriptis reperimus, aut veridica sanctorum alium, ubi illa Christo militabat, relatione cognouimus, hic inferre dignum duimus.

CAPVT

2. Theff. 2.

* Surius &
pogr. Bamb.
Panè inuisa
properabat.

* gloriam hu-
manam.

